De

pristinae linguae Francicae syntaxi.

Dissertatio inauguralis

ad

summos in philosophia honores capessendos

scripta

ab

Eduardo Engel, Pommerano.

ROSTOCHII

1874.

Memoriae patris dilectissimi.

Romanarum quae dicuntur linguarum atque in his maxime pristinae linguae Francicae quamquam de primordiis et progressu permulti viri clarissimi doctissimique, velut Schlegel, Diez, Raynouard, Burguy, disertissime scripserunt, magis tamen inquirendae speciei vocabulorum et declinationum quam studio legum syntacticarum rationem habuerunt. Quare cum haud multi nobis in studio syntaxis pristinae linguae Francicae fluerent fontes, ex quibus hauriremus, ad ipsos illorum temporum auctores confugiendum nobis erat.

Atque duae hae res ad ordinationem et constructionem pristinae linguae Francicae summi fuisse momenti videntur: vis primum potestasque flexionum Latinarum, quae ex memoria tum nondum totae erant extinctae, deinde usus linguae Germanicae. Omnes autem grammatici in eo consentiunt, quod dicunt linguam Germanicam permultum valuisse ad vocabula illius linguae conformanda [cfr. Burguy, Grammaire de la langue d'oïl p. 11]*), ipsi autem non magnam adhibebant curam in quaerendo, quantum etiam ad syntaxin Francicam Germanicae linguae usus pertineret.

Longum est, illud hic disserere et expedire, — sufficiat, ut vel ei, qui paullum in veteribus illis „carminibus gestorum" quae dicuntur perlegendis versati sunt, concedant tantum abesse ut versuum compositio cum linguae Germanicae usu discrepet,

---

*) „Le français est de toutes les langues romanes celle qui a fait le plus d'emprunts aux idiomes allemands."

Cfr. etiam p. 13 ibid. „On rencontre dans le français quelques dérivations et compositions formées à la manière allemande, et la syntaxe des langues germaines a sans doute réagi assez fortement sur celle du latin".

ut exiguis mutationibus factis innumerabiles versus in Germanicum sermonem possint verti.

Nam, ut ad singula transeam, nonne cum linguae Germanicae cum pristinae tum nostrae usu congruunt inversio objecti eaque effecta subjecti et verbi inversio, nonne vocabulorum collocationis mutatio adverbiis in initio enunciatorum positis allata, nonne, ut cetera omittam, praetermissio pronominum relativorum frequentissima [quae adhuc in lingua Anglica exstat]?

Quibus rebus cum summa licentia libertasque vocabulorum collocationi daretur, tum vel augebatur vi declinationum linguae Latinae, quae maxime erat perspicua in nominativo et accusativo inter se internoscendis.

Quae res cum nisi in pristina lingua Francica [et Provinciali ei simillima] in ceteris linguis Romanis nobis non occurrat, ejus nota quasi sit appellanda.

Licentia autem illa varietasque tum primum severitati et jejunitati cuidam dictionis cedebant, cum declinationum potestas in oblivionem abibat.

Indolem igitur et naturam syntaxis pristinae linguae Francicae ut breviter complectamur, dicere nobis liceat casuum rationem morem sequi Latinum, vocabulorum collocationem ex Germanicae linguae usu manasse.

Atque hocce opusculo nobis proposuimus cum principes pristinae linguae Francicae syntaxis leges tum singulas quasdam observationes et ex carminibus gestorum et ex aliis libris poëticis prosaicisque inde ab initiis linguae [IX. seculo] usque ad XV. seculum haustas exponere atque exemplis illustrare.

I. De vocabulorum collocatione.

Iam in exordio id praedicavimus, quod maximi fuit momenti ad pristinae linguae Francicae indolem et nascentem et crescentem, dico discrimen nominativi et accusativi utriusque numeri Latinae linguae a scriptoribus illorum temporum ser-

vatum. Cujus discriminis quae ratio sit longum est explicare, nam apud eos, qui grammaticam linguarum Romanarum generalem tractaverunt, tritissima est. Quam quod intellexit et perspexit primus, summae ut equidem opinor laudi Raynouardo viro clarissimo tribuendum est, qua ratione primus rectam viam et linguae Francicae et Provincialis pristinarum penitus cognoscendarum ingressus est.

Licentia illa libertasque, de quibus supra disseruimus, primum quidem ad subjecti et praedicati collocationem pertinebant ita, ut apud veteres et poëtas et prosaicos inversiones innumerabiles nobis occurrant. V. Chanson de Roland*): vers. 77 Dient païen: „De ço avum nus asez.“ v. 372 Vers Angleterre passat-il la mer salse. — Méon, Aucasin et Nicolete**) p. 383 Car par li pert jou Aucasin. p. 385 aveuc cias n'ai jou que faire; mais en Infer voil jou aler: car en Infer vont li bel. — La Bible Guiot***) v. 26 Einsinc le croi je et entent. v. 154 Me pleing, ce ne puis-je lessier. — [Cfr. etiam ibid. v. 222, 256, 345, 555, 1520.] — Huon de Bordeaux †) v. 8837 là l'ai jou esposé. — Gui de Bourgogne††) p. 67 après Karlemaine . . . Sui ge vos liges sires. — Gaufrey †††) v. 1836. Le glout fu en la chartre où trebuchiet l'ot on. — Comines [1]) I. p. 93 Avec telz gens veul je avoir à besongner. p. 106 et avoient desja lesdictz Liegois faict une destrousse. — Joinville [2]) p. 170 Par saint Nicholas! ci ne demourront-il pas!

Facile est intellectu in plerisque exemplis supra allatis aut locutionibus adverbialibus aut objectis in enunciati initio positis factam esse inversionem. Quae res, quippe quae adhuc etiam haud nimis cum hodiernae linguae usu discrepet, locutionibus adverbialibus praetermissis ad

---

*) La Chanson de Roland ed. Th. Müller. Göttingen.

**) Contes et fabliaux.

***) ed. San Marte (Schulz).

†) Guessard, Anciens poëtes de la France.

††) ed. Guessard.

†††) ed. Guessard.

[1]) Mémoires de Comines, ed. Dupont. Paris 1870.

[2]) L'histoire de St. Louis, ed. Natalis de Wailly. Paris 1867.

Inversionem objecti nos traducit. Invenitur autem objectum aut ante verbum aut inter participium et verbum auxiliare positum, cum falsae interpretationi illa casuum lex obstet. Chans. de R. v. 313 Orgoill oi e folage. v. 411 N'i ad celoi ki mot sunt ne mot tint. v. 3318 Desur lur bronies lur barbes unt getées. — Bibl. Gu. v. 310 Trop bele huevre fet-en d'argent. — Auc. et Nic. p. 381 Nicolete laise ester. — Charles d'Orléans*), p. 2, stroph. 2 Vostre vouloir suys content d'acomplir. — Hu. de Bord. v. 74 Car par celui qui le mont doit jugier. v. 9728 et 10251 Ichil m'aida l'amirant à tuer. — Fierabras**) v. 5646 Richars de Normandie a le Turc escouté. — Aye d'Avignon***) v. 840 Si ont la traïson li glotons acordé. [cfr. ibid. verss. 556, 2888.] — Doon de Mayence†) v. 3203 Et quant li bon vassaus chele parole entent. — Otinel††) v. 1109 Quidez vos sul les paienz tuz mangier? — Floovant†††) v. 1794 Mestier auront ancores. — Gaydon[1]) v. 786 J'ai grant paor éu.

Commemoratione porro dignissimus videtur usus toto genere cum hodierno discrepans, quo objectum inter praepositionem et infinitivum, ex quo pendet, interponitur, velut in Chans. de Rol. v. 68 E Blancandrin, por la raisun cunter. — Bibl. Gu. v. 85 de lor subtilité chercher — quo in versu „de lor" cum „chercher" conjungendum est. v. 938 Si l'ont por lor volonté faire.[2])

Eodem modo in Germanica quoque lingua objectum inter praepositionem et verbum cum praepositione junctum semper ponitur, poterat poni etiam in lingua Graeca. [cfr. Diez, Grammatik der Romanischen Sprachen. Ed. III. p. 460.]

Mirus autem apud Charles d'Orl. ballad. 5, str. 3 invenitur versus „Honte vous est . . . D'un loyal cueur ainsi

---

*) ed. Champollion-Figeac.

**) ed. Guessard.

***) ed. Guessard.

†) ed. Guessard.

††) ed. Guessard.

†††) ed. Guessard.

[1]) ed. Guessard.

[2]) Cfr. Credo de Joinville ed. Wailly pag. 518 XXVII.

meurdrir", — in quo versu „d'un loyal cueur" possit genitivus esse videri. At „de" praepositio hic arctius cum infinitivo cohaeret quam ceterae praepositiones.

Ad inversionem deinde objecti referenda videtur inversio infinitivi a verbo finito pendentis,*) quae saepissime invenitur.

Quin etiam interdum versus nobis occurrunt, in quibus objectum non solum praecedat praedicatum, sed etiam ab ipso praedicato toto enunciato sejungatur, — qui usus etiam in lingua Germanica haud semel nobis occurrit. V. Bibl. Gu. v. 637. seqq. Une pierre laide et bruniere, Où li fers volontiers se joint, Ont —

Haud fere necesse esse videatur inversionem genitivi et nominis, ex quo genitivus pendet, commemorare, quae res in linguis Germanicis et pristinis et hodiernis floret. [Cfr. genitivum „Saxonicum" linguae Anglicae.] Velut in Chans. de Rol. v. 1029 Or veit il ben d'Espaigne le regnet. — Doon de Mayence v. 8577 qui des Danois fu sire.

Nec constantior quam substantivorum collocatio in pristina lingua Francica erat pronominum, quorum collocatio hodie firmissimis definitur legibus et iis firmioribus quam in ceteris linguis. Sic in pristina lingua non semel accusativus pronominum personalium praecedebat dativum, — velut in Bibl. Gu. v. 1998 Quant on le me conta premiers; — Méon, Contes et fabliaux I. p. 396 ... le m'as dit. — Huon de Bord. v. 594 Il me sanloit, loiaument le vous di. — Fierabras v. 3999 ... bien le vous puis jurer. — Gui de Nanteuil**) v. 3019 Par si que moi n'oublit qui la vous ai chantée. — Gaufrey v. 8332 ... ne le me chelez ja.)

Nec non adverbiorum pronominalium „y" et „en" ordo in pristina lingua fluctuabat, saepius autem, discrepanter cum more recentiori, „en" praecedebat „y". V. in Bibl. Gu. v. 234 ... de preuz molt en i auroit. — Doon de May. v. 5153 ... tant comme il en i a.

Deinde imperativus pronomina personalia ut postponerentur saepissime permittebat, v. Huon de Bord. v. 283 De vreté

---

*) Cfr. Diez l. c. III, 457.

**) ed. Guessard.

le sachiés. — Parise la Duchesse*) v. 1814 Or me dites, beauz maistre. — Ch. d'Orléans ball. 9, str. 2 Or lui monstrez qu'estes maistresse Et lui mandez qu'il guérira.

„Mult, tant, trop, peu“ adverbialiter posita a nominibus, quorum vim aut augebant aut diminuebant, vel compluribus vocabulis disjungebantur vel etiam omnino ex verborum conformatione exibant; mihi quidem inversio illorum adverbiorum saepius quam recta collocatio occurrebat. Exempla sunt innumerabilia, v. e. g. Chans. de Rol. v. 2494 Ki mult est las il se dort cuntre terre. — Bible Gu. v. 797 Tant la voi hui foible et declose, v. 1660 Trop sont à Cluigni voir disant. — Doon de May. v. 2997 Trop venez lentement. — Parise la Duchesse v. 3074 Moult par ot dedanz Hais, lo jor, grant asamblée. — Villehardouin**) CIII. Mout fu grans merveille à regarder.

Enunciatorum relativorum ordini, quo pronomina relativa cum vocabulo, ex quo pendent, arctissime juncta vult hodiernae linguae usus ad perspicuitatem sermonis augendam, pristina lingua nondum tam accurate obsequebatur; quae discrepantiae etiam usque ad XV. seculum inveniuntur, v. Mémoires de Fénin p. 182 in fine.

Denique in enunciatis condicionalibus omissa conjunctione „si“ inversio saepissime ponebatur, qua re pristina lingua Francica magis quam hodierna cum linguis Germanicis congruit. Ceterum nec Graeca nec Latina linguae illa inversione utebantur.***) V. Aliscans†) v. 1566. Ia alast jus, ne fuissent li estrier.

II. Casuum rectionem

primum substantivorum veteris linguae Francicae ut recte intelligamus difficultatesque quasdam tollamus, non praetere-

---

*) ed Guessard.

**) De la conqueste de Constantinoble ed. Paulin Paris. Paris 1838.

***) Cfr. Diez l. c. III, 359, Chans. de Rol. Fust i li reis, n'i oussum damage.

†) ed. Guessard.

undum est casuum obliquorum praecipue terminationum non omnino obliteratas esse illis temporibus vim atque potestatem, quarum memoria veteres scriptores inde a primis linguae originibus adducebantur, ut genitivum possessivum praepositione „de“ fere privarent. Ponebatur autem pro genitivo casus generalis [sine littera s], quem nonnulli grammatici accusativum perperam appellaverunt. Invenitur ille genitivus sine praepositione jam in „sacramentis Argentoratensibus“: „Pro deo amur“, nec non in „cantu St. Eulaliae“: „Li deo enemi“. Ceterum v. in Chans. de Rol. v. 801 Hom sui Rollant, v. 3678 à oes l'empereor. — In Bibl. Gu. v. 381 Dès le tens Lancelot do Lac. — Apud Méon l. c. I. 408 le terre le roi de Torelore. — Huon de Bord. v. 16 Cele fu mere Auberon le sauvaige. v. 345 en non Diu [au nom de Dieu]. — Par. la Duchesse v. 991 Cosin fu Gandon, Berenger et Hardré. — Joinville p. 174 prist la cote le conte d'Artois. ejusd. Credo p. 524 quant nous venimes vers la galie le roy. Cfr. Orell,*) p. 10.

Negat Diezius inveniri illum genitivum vel potius casum generalem in nominibus res significantibus, positum autem esse dicit saepissime in substantivis homines vel animalia significantibus, — nonne autem locutiones „en mi un camp, en sum sa tur, par sum le ventre“ [cfr. Ch. de Rol. v. 708, 3636, 3922] eo pertineant?

Ne hodiernae quidem linguae ille genitivus, qui praepositione vel declinatione caret, omnino deest, cfr. „Hôtel Dieu“, quod signo „trait d'union“ hodie falso in unum contrahitur vocabulum; et „Eglise St. Jacques“.

Versus autem 3971 in Chans. de Rol. „E tuit li membre de sun corps derumpant“ — multique similes ita interpretandi sunt, ut „de sun corps“ non ex „li membre“ sed ex verbo „derumpant“ pendere dicamus, — quo in versu Latina quoque lingua praepositione „de“ utitur.

Frequentissima illa genitivi forma etiam ad genitivos objectivos qui dicuntur transibat, qui hodierna in lingua non solum „de“ sed alias etiam praepositiones interdum poscunt.

---

*) Altfranzösische Grammatik, Zürich.

Cfr. Méon I. p. 383, 2 „il ne poroit Aucasin son fil retraire des amors Nicolete“, — ubi hodierna lingua „pour“ praepositione utitur; sic etiam G. de Nant. v. 2118 Pour amour Ayglantine.

His adjungendi videntur genitivi nonnullorum substantivorum, qui praepositione „de“ carent, cum significatio ipsa forma perspicua sit, velut Francor - Francorum, payenor-paganorum, etc. V. Chans. de Rol. v. 1019. Gaufr. v. 3872, multisque aliis locis.

Pro genitivo deinde saepenumero dativus ponebatur maxima ex parte ad propinquitates affinitatesque exprimendas, v. Chans. de Rol. v. 850 les filz as cunturs, v. 1905 filz al rei Marsiliun. — Méon I. 385, 11 fille à un roi ou à un conte. — Par. la Duch. v. 1219 Au fil au duc Garnier commença à juier. — Do. de May. v. 132 En la chambre à la dame. — Otinel v. 515 la file à roi Karlon. — Hugues Capet*) v. 688 Qui sont parent au conte, — et v. 5607. — Joinville p. 394 hors du cors de la fille à la veuve femme. — Orell l. c. affert: Histoire du St. Greaal „Le roys aux Crestiens est si forts“, — et: „Vint en France une nouvelle De la mort au bon roi Charlon“. Commemoratione dignum videtur, quod adhuc lingua rustica Francogallorum dicit e. g. „la fille à Thomas“.

Denique appositionum formae, quas declinare a syntaxis hodiernae linguae legibus omnino abhorret, illis temporibus nonnunquam casibus nominis, cui apponebantur, dirigebantur, v. Chans. de Rol. v. 3706 E vient à Ais, al meillor sied de France. — Aye d'Avignon v. 4123 Puis aida il Guyon, à son frere le ber.

Similis atque ad substantivorum casuum etiam ad verborum rectionem valebat lex, qua omnia fere verba atque etiam „être“ cum illo casu generali vel accusativi formae proximo conjungebantur. Cujus rei causa ipsa quoque ad memoriam terminationum potestatis nondum obliteratam referenda esse videatur, praesertim cum eadem ratione in Anglica quoque lingua saepissime accusativus pro dativo cum verbis adhuc

*) ed. Guessard.

jungatur. Usus illius vestigia ne hodie quidem omnia extincta multa docent verba, quae accusativum sequi volunt latina lingua discrepante. Ipsius usus exempla v. in Sacr. Argent.: „cist meon fradre Karle in damno sit“ et „que son fradre Karlo jurat“. — Chans. de Rol. v. 2562 Nostre parent devum estre à sucurs. — Roman de Renart, [citt. ab Orell.] II p. 79. Mon chastel ert l'ainz-né mon fils . . . mes autres forteresces Lerai as cortes tresces ma feme. — Huon de Bord. v. 754 Foi que doi mes amis. — Do. de May. v. 213 Vint à Doolin, qui Dex avoit donné . . . valour. — Aliscans v. 2380 Amis, or vos hastés, Dites le roi — Hugues Cap. p. 65 Car par le foy que doy le pere créatour.*)

Nonnulla verba incerta ratione modo cum dativo modo cum accusativo componebantur, velut „prier“ [quocum dativus saepius quam accusativus inveniatur]. V. Chans. de Rol. v. 2518 E priet Deu — Bibl. Gu. v. 1417 et 1760 Por Deu lor pri que il amendent. — Quam incerta fuerit lex illa, docent verss. 2260 seqq.: De ses pers priet Deu que les apelt, E pois de lui al angle Gabriel, — quibus in versibus Müllerus ante substantivum „Deu“ praepositionem „à“ ponit, quamquam nec in codice Oxford. nec in editione F. Michelii invenitur. In duobus igitur versibus continuis, si lectionem in margine positam sequimur, utraque invenitur constructio verbi „prier“.

Verbum „aider“, quod hodie semper cum accusativo ponitur, in pristina lingua etiam cum dativo conjungebatur, v. Ch. de Rol. v. 364 E lui aidez e pur seignur le tenez! — Bibl. Gu. v. 1478 Ne lor doit aidier en la fin. Sic etiam apud Fénin, Mémoires I p. 123, 2.

Denique rarissimum et commemoratione dignissimum exemplum mihi occurrit attractionis casus in Ch. de Rol. v. 3889 Granz sunt les colps as helmes detrencher [quod et in cod Oxford. et in omnibus editionibus legitur], hodierna in lingua „les coups sont forts à fendre les casques“. [Cfr. versionem ab d'Avril editam**)]. Poëta sine dubio „à les helmes detrencher“ scripturus erat, quoniam „à“ cum verbo

*) Cfr. etiam Ch. de Rol. v. 2508, 2669, 3906.

**) Chanson de Roland, trad. par d'Avril, Paris, p. 197.

jungendum est; cum autem pro „à les“ veteres „as“ scriberent, poëta et versus difficultate et analogia quadam ductus est, ut „constructione ad sensum“ uteretur.

III. De modis.

Conjunctivus nonnunquam sine conjunctione „que“ pro imperativo invenitur aeque atque in lingua Latina, v. G. de Nant. v. 1803 Se il onques m'amerent, or me viengnent aidier!

In enunciatis concessivis pristinae linguae usus cum hodierno interdum discrepat, nam e. g. „combien que = bien que“ non cum conjunctivo sed cum indicativo conjunctum inveni apud Ch. d'Orléans carm. 3, 2 Combien que sans décevoir Je suis syen toute ma vie“.

Contra in enunciatis condicionalibus, quae hodie indicativum poscunt, saepenumero usque ad XV. seculum conjunctivus cum „se“ conjunctione ponebatur, v. Bibl. Gu. v. 1196 Se j'éusse esté en la route. — Gaydon v. 6148 Se je éusse souffert si lait pechié. — Ch. d'Orleans, chans. 23, 1 Se j'eusse ma part de tous biens.

Pro imperativo negativo saepissime infinitivus ponebatur, qui usus adhuc in Italica Hispanicaque linguis floret. v. Chans. de Rol. v. 2337 Deus pere, n'en laiser hunir France. Cfr. Orell p. 290 annott. — Méon I. 379 Ha biaus douz filz, por Dieu nel dire. — G. de Nant. v. 934 Nobile chevalier, ne t'esmaier noient. — Non detractione quadam sed negligentia et vivacitate sermonis illum usum explicandum esse crediderim, praesertim cum non solum in Romanis sed etiam in Graeca et Germanica linguis nobis occurat. Concitate enim loquentem et vehementer jubentem tempus deficiat verbum conjugandi, quare ea forma, quae conjugatione omnino caret, utitur. Inde ille usus ad placidum quoque sermonem defluxisse videtur.

Ad actionem significandam pristina lingua Francica participium praesentis cum verbo „aller“ conjunctum interdum

ponebat eisdem fere locis, quibus hodierna lingua infinitivo praesentis cum „aller" utitur. Quo modo non solum praesens tempus sed omnia omnium verborum tempora exprimi poterant. Qui usus quantum cum linguarum Romanarum indole conveniat, eo perspicuum est, quod non solum recentioribus temporibus sed etiam ab initiis fere linguae Francicae invenitur, v. Chans. de Rol. v. 1780 Pur un sul levre vat tute jur cornant. — Huon de Bord. v. 1299 En alai jou si fait duel demenant. — Fierabr. v. 939 Pour le felon Herode qui les aloit cercant. — Aliscans v. 6138 Mès le tinel ala escolorgant. — Hug. Cap. v. 4037 La roïne le va moult regardant.

Haud deinde praetermittendum mihi videbatur participium praesentis simillime usui ablativi absoluti participiorum Latino saepissime absolute atque etiam substantive in vetere lingua Francica poni et cum pronominibus possessivis [non cum personalibus] jungi. Usitatissimae erant locutiones: mon, ton etc. vivant, esciant [adhuc extat „de son vivant"]. V. Ch. de Rol. v. 287 Desfi les en, sire vostre veiant. v. 2997. Fait sun eslais veant cent milie humes. [hominibus videntibus.] v. 539 Men escientre, dous cenz anz ad e mielz. — Huon de Bord. v. 198 Li rois l'apele, voiant ses chevaliers. — Hug. Cap. p. 129 Traytre l'apella, voiant tout les marchis.

Mirissimum autem participii pro substantivo vel infinitivo positi in Hu. de Bord. v. 1135 inveni „Qu'il m'aideroient desc'as membres perdant", — quo in versu eadem fere attractio invenitur, quam in pag. 13 commemoravi.

Participii vero praeteriti naturam ex participio passivo praeteriti Latino derivati quantum veteres Francogalli non ignoraverint et memoria complexi sint, innumerabilibus comprobatur locis, quibus participium praeteriti compositi secundum numerum et genus objecti vel sequentis mutatur. Hodiernae linguae leges tum solum participium ut mutetur admittunt, cum objectum praecedit. Pristinae igitur linguae usus simillimus est usui Latinae medii aevi linguae, e. g. „Habeo visam domum illam." Quem usum usque ad XV. seculum viguisse videas ex ball. 88 str. 2 apud Ch. d'Orléans: „Mais qu'eust visitez ses papiers"; adeo autem illis temporibus incertus erat usus, ut in eodem carmine nobis occurrat: „Mais

qu'eust visité ses papiers". Ceterum v. Chans. de Rol. v. 2250 Cruisiedes ad ses blanches mains, v. 3988 ... ad faite sa justise, v. 2490 ... unt toleites les seles, v. 705 Ço dit li reis que sa guere out finée. — V. Otinel v. 1120 Et a brandie la hanste de pomier. — Gui de Bourg. p. 130 S'a faite une orison. — Do. de May. v. 2515 Puis a sainte [ceinte] l'espée au senestre costé. v. 9445 Qui m'ont mise ma gent. — Villehardouin XVII quant la meillor gent du monde ont guerpie l'autre gent. [Cfr. Italicum.*)]

Nonnunquam vero participium non mutabatur, etiamsi objectum praecedebat, v. Ch. de Rol. v. 2371 .. mes pecchez, Que jo ai fait dès l'ure que nez fui.

In Ch. de Rol. rarissimum inveni usum quendam infinitivi similem usui linguae Graecae, in versu 2413 „Que jo ne fui al estur comencer!" Equidem non putaverim „estur" esse accusativum ex verbo „comencer" pendentem, sed versum ita explicandum crediderim, duo illa vocabula „estur-commencer" unum quasi nomen efficere a praepositione „à" cum articulo substantivante, ut verbo utar, pendens. Cfr. apud Demosthenem: „Lysitelei to hekontas poiein ta deonta".

Denique semel mihi mirus quidem infinitivi usus pro conjunctione „que" et verbo finito occurrit apud Comin. 1, 99, 6 ... „voyant ne pouvoir donner remede".

IV. De Substantivo.

Infinitivus verbi auxiliaris „aveir" saepenumero apud veteres scriptores aeque atque Germanicum „die Habe" pro substantivo ponebatur et cum articulo jungebatur, v. Ch. de Rol. v 3803 N'ert recuvret por or ne por aveir. — Méon I. p. 398 Vos parlés de si grant avoir. — Atque etiam pluraliter haud semel ponebatur, v. Bibl. Gu. v. 1463 Mestres ... et des princes et des avoirs. — Aliscans v. 8319 les avoirs mainent par la contrée.

*) „Ho perduti i danari".

Annotandus est mirus quidam usus substantivi „corps", quod eodem modo quo Germanicum „lîp" et Graecum „ménos" pro ipsa persona nonnunquam ponebatur. V. Aye d'Avig. v. 1123 Et méisme son cors et pris et retenus. — Aliscans v. 2100 Glous, dist Guillames, li cors Dieu te maudie!

Cfr. Diez l. c. III 66, ubi „corps Rollant" pro „Rollant" commemoratur et cum Germanico „Sivrides lîp" comparatur.

V. De verbis.

Participium perfecti verbi „mourir" — „mort" haud semel eodem modo quo hodierna in lingua „tué" invenitur, v. Ch. de Rol. v. 555 . . ad . . Tant riches reis morz e vencuz en champ. v. 2756 . . Carles, Mort m'ad mes homes, ma tere deguastée. — Hu. de Bord. v. 3450 T'as mort Karlot, qui fix Karlemaine ert. — Do. de May. v. 1146 Me met sus que j'ay mort mon segnur et tué. — Otinel v. 515 mort a M. homes à s'espée.

Omnino deinde ab hodierno usu discrepanter tempora composita verbi „aller" auxiliari verbo „avoir" saepenumero formabantur, v. G. de Bourg. p. 125 Il n'orent mie bien demie liue alé. — Villehard. Continuation*) XVI. si péust-on bien avoir alé.

Denique in enunciatis comparativis rarissime verbum enunciati praecedentis repetitur, sed verbo „faire" exprimitur, v. Hu. de Bord. v. 7103 Autant vos aim . . Con fait la mere l'enfant qu'ele a porté. — Aliscans v. 4502 et 5590 Plus trence fer ke faus ne fait erbier. — Gaydon v. 262 seqq. [cfr. 10385] amoie plus Gaydon — — que ne faisoie home de ma maison.

*) Par Henri de Valenciennes, ed. Paulin Paris, Paris 1838.

VI. De articulo.

Articulus definitus cum saepius ante substantiva quam hodierna in lingua, tum vel maxime ante nomina propria [pluralia] detrahebatur, v. Ch. de Rol. v. 50 Francs s'en irunt en France, v. 3624 seqq. Or unt Franceis iço... Paien s'en fuient... Encalcent Franc. — Gaufrey v. 802 Que paien emmenoient.

Nec non ante terrarum nomina articulus definitus omittebatur, ubi recentior usus eum fere poscit, v. Ch. de Rol. v. 94... Charle ki France ad en baillie. v. 3705 seqq. Li empereires est repairet d'Espagne, E vient à Ais al meillor sied de France. — Comines I. p. 91 Le duc de Berry vouloit Normandie pour son partaige.

Ponebatur autem articulus definitus discrepante recentioris linguae usu saepissime post pronomina adverbiaque quantitativa, velut post „molt, assez, trop, tant". V. Bibl. Gu. v. 171 Molt i aurait des princes. v. 1001 Des gentilz i a-il assez. v. 1687 Trop i a du boire au bués. v. 1953 il donent de l'avoir tant, — quamquam solum „de" interdum invenitur, cfr. Bibl. Gu. v. 1293 „trop de maus".

Saepius deinde quam hodie articulus definitus cum vocativo sic jungebatur, ut vocativi forma congrueret cum nominativo, v. Ch. de Rol. v. 3374 S'escriet Baligant: „Li mien baron, nurrit vos ai...!" — Ne hodierno quidem usui articulus definitus vocativi omnino deest, sed familiari solum vel poëtico sermoni servit. [Cfr. Murger, Scènes de campagne p. 44 Allez-vous vous ôter de là, la vieille!?"]

De articulo indefinito hoc commemoratione haud indignum fuerit, quod pristina lingua Francica in modum linguae Hispanicae [cfr. He recibido unas cartas] plurali etiam forma utebatur, quae forma idem fere quod hodiernae linguae articulus partitivus qui appellatur significat,*) v. Bibl. Gu. 1582. Uns blans Chanoines r'a en France. — Méon I. [citt. ab Orell.] Unes armes forz et entières Li baille

*) Mäzner, Französ. Syntax I. p. 157.

por soi atorner. Méon I. p. 404 unes grandes joes, unes granz narines et unes grosses levres. — Ponitur etiam absolute pluralis articuli indefiniti, velut in Ch. de Rol. v. 2190 Per uns e uns les a pris le barun.

Articuli denique partitivi qui dicitur rarissime mihi occurrit usus, at vero haud dixerim omnino eum linguae pristinae Francicae defuisse [cfr. Ch. de Rol. v. 1012 . . . Deit hom perdre e del quir e del peil. v. 2346 . . . i ad reliques: La dent seint pere e del sanc seint Basile], quamquam in hisce versibus usus articuli partitivi ab hodierno usu paullulum abhorrere videtur.

Utebantur igitur veteres scriptores mero substantivo, praetermissis et „de" praepositione et articulo definito, qui usus et in ceteris linguis Romanis et in Germanica lingua adhuc floret.*)

Ceterum jam hocce loco pristinus ille usus commemorandus sit, quo [ut in Italica Hispanicaque linguis] articuli et definitus et indefinitus cum pronominibus possessivis jungebantur. V. Ch. de Rol. v. 389 Li soens orgoilz v. 2232 La sue mort li vait mult angoissant. — Hug. Cap. p. 141. Dame — ce dist Huon — par le mien serrement. — Macaire**) v. 703 Un son donçel elo fe apeler. — G. de Bourg. p. 21 le sien corps honorez. — Villehard. continuat. XXXI. [cfr. ibid. p. 237] monta sor un sien cheval ferrant. [Cfr. etiam Italicum „un mio amico, il mio amico", et Hispanicum „un mi hermano, el hermano mio", et Diez l. c. III. 68, 69.]

VII. De adjectivis et comparatione.

Permultorum adjectivorum genus [nec non pronominum nonnullorum] cum genere substantivorum, quibuscum junguntur, non congruere videtur, quod non errore syntactico, sed derivationis illorum adjectivorum ratione factum est. Omnia enim illa adjectiva vel adjectiva pronominalia, quae

*) Diez l. c. III. p. 46.

**) ed. Guessard.

enumerare longum est, cum in lingua Latina tertiae declinationi adscripta essent, ad genus et masculinum et femininum exprimendum una eademque forma utebantur, — quae lex inde a XV. seculo dissoluta est vi analogiae [cfr. Mäzner l. c. I. p. 147]. V. Ch. de Rol. 1713 Forz est nostre bataille, v. 3643 à si grant hunte, v. 1772 Par tels paroles. — Otinel v. 184 Or oi grant estoutie. — Joinville p. 350 et vivait grant partie. — Comines I. p. 95 la plus grant force, p. 107 Nonobstant y eut grant quantité. — In codic. Oxf. Ch. de Rol. v. 3745 legitur „mult par est grande la feste" — qui locus sine dubio a librario mendatus est, scribendum enim est „grant la feste".

„Mal", quod hodie adverbialiter solum ponitur, Diezius [cfr. l. c. II. 67 annott.] pro adjectivo in pristina lingua dictum esse negat; at vero v. Ch. de Rol. v. 886 Barbarins est e mult de males arz. v. 2699 Sur nus est venue male confusiun. — Méon I. p. 384 u je trai mult male vie. Cfr. Orell p. 33, St. Bernard: Par lor mals exemples et lor males semonces. — Fierab. v. 6200 Tous jours vont traïturs à male destinée. — Joinville p. 386 pour ce que la coste estoit trop male.

Collocatio denique adjectivorum substantivis additorum illis temporibus nondum firmis legibus constituta erat, quare adjectiva modo praecedebant modo sequebantur substantiva. Annotandum autem est „demi" adjectivum numerale articulum vel pronomina possessiva cum substantivis conjuncta semper fere praecessisse, velut in Ch. de Rol. v. 785 Demi mun host vos lerrai en present.

Comparativum et superlativum gradum non omnium adjectivorum adverbio „plus" expressum facile est intellectu hodierno quoque linguae usu. De significatione autem comparativi et superlativi a formis Latinis ductorum haud praetermittendum esse videtur saepenumero comparativos atque etiam superlativos inveniri, quibus idem quod gradu absoluto significatur, v. Ch. de Rol. v. 710 par cez greignurs valées, [v. 977] v. 3698 en sun paleis haltur, v. 1089 ses saintismes angles, v. 56 sis curages.

Pro superlativo deinde nonnunquam comparativus invenitur, v. Méon. I. p. 417 que vos amez plus [„quam maxime

amatis“]. — Hu. de Bord v. 3839 L'omme en cest monde que je veul plus amer.

Ad duas res inter se comparandas Latina lingua pro adverbio „quam“ [francicum „que“] utebatur mero ablativo substantivi. Facile est intellectu necesse fuisse pristinam linguam Francicam ad imitandum illum usum, ablativo casu perdito, praepositione „de“ uti, cujus usus vestigia adhuc nobis relicta sunt [cfr. j'ai plus de cent chevaux]. Àt equidem putaverim illam constructionem ex omnium linguarum analyticarum ratione fluxisse, neque vero eorum interpretationem sequi voluerim, qui illam constructionem nimis artificiose exponunt significare rem, de qua conspecta alia quaedam res major aut minor esse videatur, praesertim cum in Hebraïca etiam [cfr. usum praepositionis „min“] atque in Graeca lingua recentiori similis quaedam praepositio ponatur [cfr. plusioteros apo ton adelfon], in pristina lingua Graeca: plusioteros tu adelfu. Cfr. Burguy l. c. I. p. 107, Raoul de Cambray: plus fiers d'un sengler; ibid. etiam post „autre“: autre de vos; et Diez l. c. III. 498, Mäzner I. p. 419 seqq — V. Ch. de Rol. v. 758 N'avez barun ki mielz de lui la facet. v. 3532 et 3377 Meillor vassal de lui. — Méon I. 404 levres plus rouges d'une carbonce, p. 398 plus fu enparlés des autres, p. 177 N'est pas mains riches de mon pere ... Ne nul plus prochain oir de vous. — Floovant: Onc plus saige de lui ne tint espée à flanc. — Gaydon v. 10850 Meillor de lui ne poez avoir mie.

Summa autem commemoratione dignum est interdum et „de“ post comparativum, et „que“ in initio enunciati sequentis saepissime deesse; v. Ch. de Rol. ed. Michel p. 137 Paien d'Arabe s'en turnent plus cent. — Meon I. p. 284, St. Léocade v. 452 Fi, fi, plus puent, ne fait fienz. p. 302 Plus chante au bois ... ne fait en cuer.

Denique ad collocationem et naturam adverbii „plus“ cum adjectivo conjuncti illustrandam versus Ch. de Rol. 1573 multum valet: „Plus est isnels que n'est oisel“. Videre enim licet „plus“ tum nondum tam arcte cum adjectivo ad comparativum formandum cohaesisse quam hodierna in lingua.

VIII. De pronominibus

a. personalibus.

In omnibus linguis validis terminationibus verborum ornatis usitatissimum est pronomina personalia omitti vel tum solum adjungi, cum ad bene distinguendum nomen opus sunt. In pristina autem lingua Francica [aeque atque in Hispanica et Italica] terminationes sufficiebant et pronomina personalia saepius omittebantur quam ponebantur; contra in hodierna lingua pronomina personalia semper poni necesse est, quin etiam bis vel ter repeti in enunciatis coordinatis. V. Huon de Bord. v. 55. LX ans que sui fais chevaliers, v. 10046 Frans rois, dist-il, vuels oïr no raison? — Fierabr. v. 459 Ne joustai à nul home de si bas parenté. — Bibl. Gu v. 556 Ce lais ester. — G. de Bourg. p. 41 Veistes onques maiz Karlon?

Eo magis igitur est mirificum, quod nonnunquam pronomina personalia per pleonasmum bis posita inveniuntur, velut v. Meon I. p. 398, 8 „Je ai-jou“ . . .

Quodsi Diezius negat pronomina personalia haud in initio enunciatorum posse omitti, praecipue ad „Bible Guiot“ remittendum videtur esse, quippe in quo libro permulta nobis exempla occurrerint, ut in v. 800 Bien serions mort et veincu, v. 896 Ne di pas [praes.] que le arcevesque . . . v. 1206 I lessai trop et grant envie.

Plurimum autem usus omittendorum pronominum personalium valet in locutionibus impersonalibus, quae hodie semper „il“ poscunt, v. H. de Bord v. 2519 Son frere baise quant vint au desevrer. — Do. de May. v. 11322 e quant vint au matin, — quare illis temporibus pro „il y a“ saepissime „y a“ [vel „a“ solum] invenitur, v. Bibl. Gu. v. 900 I a de boens. v. 1582 Uns blans Chanoines r'a en France. v. 1882 Se foi . . . n'i a. — Ch. de Rol. v. 22 N'i ad païen . . . v. 775 Meillor vassal n'out en la curt de lui, cfr. ibid. v. 2225 et 3978. — Charles d'Orléans ball. 6. N'a pas longtemps.

Nec non in enunciatis interjectis, in quibus hodie inversio fit, pristina lingua pronominibus personalibus fere carebat, v. Bibl. Gu. v. 547 est molt mauvès li mestiers, Ce savons bien, des usuriers.

Commemoratione deinde dignus est pronominis personalis pro reflexivo usus, qui simillime invenitur in pristina lingua Germanica. v. Ch. de Rol. v. 111 As tables juent pur els esbaneier. — Comin. I. p. 503 Ces gentils hommes s'estoyent desarmez pour eux rafraichir, — qui usus cum hodierno omnino discrepat. [Cfr. autem hodiernum „ils ont fait cela pour eux" et in Ch. de Rol. v. 2382 Mais lui méisme ne volt mettre en ubli.]

Saepenumero porro pro pronominibus personalibus absolutis quae dicuntur ponuntur „conjuncta" velut in Ch. de Rol. v. 2779 Il e Rollanz el champ furent remés. — Hu. de Bord. v. 806 Il e si homme sont de l'abé parti. — G. de Nant. v. 2975 Le vallet est montez, il e si compegnon. — Joinville p. 504 et je-méismes estoie moult aise.

b. De pronominibus possessivis.

Annotandus sit haut rarus usus pronominis possessivi praedicative positi sine articulo, quem hodierna lingua poscit, velut in Ch. de Rol. v. 2183. Cist camp est vostre, v. 3841 Sire, vostre est li plais. Passim: l'onur del camp est nostre. — Floovant v. 480 Il a traite l'espé . . . si est nostre le chans.

„Cui" nonnunquam velut Hispanicum „cuyo, cuya" cum substantivis veteres scriptores jungebant, ut dicere liceat fuisse quondam pristinae linguae Francicae possessivam pronominis relativi formam, v. Bibl. Gu v. 1954 Au seignor en cui terre il sont. — Villeh. LVII: et li marchis de Montferrat, en la cui garde li rois d'Alemaigne . . . l'avoit mis. [Cfr. Diez III. 369 una criatura á cuyo lloro estaba atento.]

Haud vero frequenter mihi occurrit pronomen possessivum transitive positum, velud aput Guiot, carm. V v. 20 „s'amor m'est el cuer entree", quem versum recentiores vertant „l'amour pour elle" etc.

c. De pronominibus relativis.

Primum quidem commemorandum est pronomina relativa [in modum linguae Anglicae] saepenumero detrahi pronomine demonstrativo vel praecedente. Diezius omissionem illam non solum nominativi sed etiam accusativi pronominum relativorum inveniri dicit [Cfr. Diez. III. 368], cujus rei equidem nullum

reperi exemplum. V. Ch. de Rol. v. 102 En la citet nen ad remés paien, Ne seit ocis u devient chrestien, v. 1836 N'i ad celoi n'i plurt e sei dement, v. 1442 Suz ciel n'ad home plus en eut de meillors, v. 2254 Jamais n'ert hume plus volonters le serve. — Meon II. 104 El païs n'a home ne femme, Ne cuit qu'elle soit decolée.*)

Nec non adverbia pronominalia interdum omittebantur, velut in Ch. de Rol. v. 653 „Jamais n'iert an altretel ne vos face", quo in versu „où" secundum recentiorem usum sit interjiciendum.

d. Pronomina demonstrativa

haud semel cum pronominibus possessivis jungebantur, velut in Ch. de Rol. v. 47 Par ceste meie destre, v. 322 ... ceste meie grant ire, — quae res, quamvis sit usitata in ceteris linguis Romanis, non in recentiori lingua Francica invenitur.

Deinde pronomina demonstrativa nonnunquam omittebantur ante pronomina relativa, praecipue forma neutrius „ce", quod recentior usus semper poscit. [Lingua Germanica modo ponit, modo omittit pronomina demonstrativa aute relativa.] V. Méon I. p. 400, 7 ... por savoir que Aucasin feroit. — Fierabras v. 2843 ... est voirs c'ai oï dire. — Gaydon v. 1312 or entendez Que li dus Gaydes a dit et pourparlé. — Villehard. CXVI et verrai que ce est. Villeh. Cont. XXXVII Or vus dirai-je que vous ferés. [Cfr. Diez. III. 386 et ab eo citt. „fai que dois. — Malherbe: ... qui n'avait jamais éprouvé que peut un visage d'Alcide.]

e. De pronominibus indefinitis.

„Rien" usque ad XIII. seculum substantivi natura servata saepenumero cum articulo et adjectivis atque etiam cum pronominibus conjungebatur, v. Bibl. Gu. v. 96 ... à nule rien n'entendoient. — Méon I. p. 417 Je vos mostrerai la riens el mont que vos amés plus. [Cfr. Orell p. 70: Je vous di bien une rien sans mentir. Chans. du roi de Navarre.] Vide etiam Gaydon v. 10385, Doon de May. v. 4328 et 6778, Macaire v. 310.

---

*) V. Fierabr. v. 4990, Aliscans v. 267, 3434, G. de Nant. v. 1166.

„Tant“ non solum adverbialiter sed etiam adjective sine praepositione „de“ cum substantivis conjungebatur, cfr. Diez III. 91 [„tanti nemici“ in lingua Italica]. Ch. de Rol. v. 1022 Tanz blancs osbercs, tanz elmes flambius! Orell citt. p. 67 Rom. de Brut.: Les pierres sont telles et tantes. — Des autres lamors i a tantes Que je ne sai à dire quantes. — Aliscans v. 4016 Et tante lance, tante broigne safrée. — Aye d'Avig. v. 3182 Tant a donné le roi et or fin et deniers.

Sic etiam „trop, peu, assez“ velut adjectiva conjuncta inveniuntur, v. Do. de May. v. 9445 Trop i a gent puissant. — Parise la Duch. v. 2765 Adonc ot joie assez. — Huon de Bord. v. 32 Assés i ot Alemans et Pohiers. — Ch. de Rol. v. 1940 Quant paien virent que Franceis i ont poi. [Cfr. Ital. pochi uomini, hisp. pocos hombres.]

„Mult“ Diezius quidem negat adjective a veteribus scriptoribus positum, inveni autem e. g. in „Bible Guiot“ nonnullos versus, in quibus „mult“ rationem adjectivorum sequitur, v. 504 Molt assemble avoir, v. 693 Molt iauz.

Uno deinde pronomine illis temporibus utebantur, quo hodiernum „un peu“ exprimerent: pronomine „alques“, v. Ch. de Rol. v. 3821 Neirs les chevels e alques brun le vis, v. 95 Ne s'poet garder que alques ne l'engignent.

IX. De conjunctionibus.

„Et“ apud veteres scriptores saepissime in modum usus linguae Latinae bis vel etiam ter repetebatur, v. Bibl. Gu. v. 1788 Et lor vie et lor contenance Aim-je, v. 1981 Ont trop*) e contraiz et contraites. — Hug. Cap. v. 5631 On ly aporta — Et pain et char et vin. — Hu. de Bord. v. 3835 Et Hues a et tenti et sonné. — G. de Nant. v. 314 Je sui et viex et fraillez, si ai mes jors passés.

Deinde annotandum est in enunciatis optativis vel imperativis „car“ conjunctionem cohortative poni idemque

*) V. supra.

significare quod Latinum „agedum". [De origine illius significationis cfr. Diez III. 214]. V. Ch. de Rol. v. 3892 Tierri, car te recreiz! v. 3902 Ceste bataille car la laisse ester! v. 1977 Sire cumpaign, à mei car vus justez! — Meon I. p. 385 Biax sire, fait li quens, car leisciés ester. — Floov. v. 2188 Car me baisiez, bau sire.

Pro „car" autem explicativo saepissime „que" inveni, qui usus adhuc in linguis Italica et Hispanica extat, [cfr. Diez. III. 313]. V. Bibl. Gu. v. 24 . . . gart dex mon esperit, Que de lui viennent li bon dit. — Aye d'Avig. v. 2432 Or weil je congié prandre, que de l'aler est drois.

Ad Germanicae linguae usus potestatem sine dubio remittendum est, quod post enunciata condicionalia aeque atque Germanicum „so" invenitur conjunctio „si", qua plerumque inversio subjecti et praedicati efficitur, v. Méon I. p. 387 s'il te voient entr'ax, si deffenderont-il mix lor avoir. — Joinville p. 190 quant il sont si preus . . . si les fait prendre et mourir. — Comines I. p. 96 s'ilz le congnoissoient, si l'ignoroient ilz.

Post „si" demonstrativum et „tant" similiaque vocabula nonnunquam „que" in initio enunciatorum consecutivorum omittebatur conjunctivi forma plerumque posita, v. Ch. de Rol. v. 1991 Tant ad seinet li oil li sunt trublet, v. 2604 Ki si sunt fiers n'unt cure de lur vies. — Méon I. 380, 13 Nus hom n'est si esbahis . . . Se il l'oït, ne soit garis, — qui usus in Germanica quoque lingua et vetere et recentiori poëtica invenitur.

„Que" autem conjunctio in aliis quoque enunciatis omittebatur, cum idem quod Latinum „quin" significaret; necesse autem erat, tum in enunciato consecutivo negationem „ne" scribi, velut Ch. de Rol. v. 2193 Li arcevesque ne poet muer n'en plurt, cfr. v. 2183. — Gui de Nant. v. 2593 Ne lerrai ne vous die.

Pro hodierno „mais" saepenumero „ains" ad contrarium fortius exprimendum ponebatur, v. Méon I. p. 387, 3 ne s'oublia mie, ains ot mandé ses homes. — Hug. Cap. v. 5944 ne volloient fausser Ains dient . . . — Joinville p. 124 et en ce flum n'enchiet nulles: ainçois avient ainsi . . .

„Jusque“ [hodierna in lingua: jusqu'à ce que“] tum, velutsi esset conjunctio, cum verbo jungebatur, v. Ch. de Rol. v. 1838 . . . prient Deu que guarisset Rollant, Josque el vengent el camp cumunement. v. 2663 Ne finerai en trestut mun vivant, Josqu'il seit mort.

„Puis“ eodem modo quo hodiernum „puisque“ in enunciatis causalibus invenitur haud aliter atque apud veteres Italicos „poi“ pro „poichè“. Quem usum usque ad recentiora tempora extitisse docet Diezius, qui locum apud Marotium poëtam citat: „Allez au tect, puis le soleil tombe“.

Mirus deinde usus quidem annotandus est conjunctionis „que“, quae ita pro „avantque“ ponebatur, ut futurum cum negatione „ne“ se praecedere posceret, ipsa autem cum indicativo conjungeretur, v. Ch. de Rol. v. 693 seqq. Ja ne verrez cest premer meis passet Qu'il vos suirat en France la regnet. [Latine: Priusquam primus hicce mensis praeterierit, te sequetur . . .]. — G. de Bourg. p. 97 Ja ne verrés passer la quinsaine acomplie . . . que je tout vos rendrai.

Pro hodierno „ne — que“, quod „solum“ significat, veteres scriptores locutione „ne — se non“ utebantur, quae omnino cum Latino „non nisi“ congruit. V. Gaydon v. 3514 qu'ainz ne fist se mal non. — Aliscans v. 5593 Tant en ocist*) n'est se merveille non. — Aye d'Avignon v. 328 ne dirai se voir non [nihil nisi verum dicam].

Denique in Ch. de Rol. semel locutionem „soit qui“ inveni velut Latinam conjunctionem „utinam“ positam: v. 391 Seit ki l'ociet, tute pais puis avriumes!

X. De adverbiis.

Pro „presque“ saepissime apud veteres scriptores invenitur „pur poi [que] ne“, vel „à poi [que] ne“, velut in Ch. de Rol. v. 325 Dunc ad tel doel, pur poi d'ire ne fent. V. 3608 Carles cancelet, por poi qu'il n'est caüt. — Bibl. Gu. v. 1065 Por pou qu'il ne me font desrendre. — H. de Bord. v. 4659 Tel paour a à poi qu'il n'ist du sans.

*) V. pag. 26: „que“ post „tant“ omissum.

Illis temporibus tantum aberat, ut adverbium „jamais“ constanti coërceretur forma, ut non solum in „ja — mais“ divideretur, sed etiam „ja“ nonnunquam omnino perderet, v. Ch. de Rol. v. 872 Ja n'avrez mais guere. — Bibl. Gu. v. 588 Mès jà mençonge n'en iert dite. v. 245 Si honis siecles mais ne fu. — D. de May. v. 3734 Quer onques mez ne vit si très bel bacheler.

Usitatissimum illis temporibus adverbium temporale „donc“ vel „idonc“ ex Latino„ tunc“ ductum post XIII. seculum obliteratum est, saepissime autem invenitur in carminibus gestorum*), v. Ch. de Rol. v. 1181 Ki dunc oïst Munjoie demander. v. 3870 Idunc plurerent C. milie chevalers. — Par. la Duch. v. 2765 Adonc ot joie assez.

Ex adverbio „mal“ usitata terminatione „ment“ et „e“ feminino additis iterum adverbium derivabatur „malement“, v. Ch. de Rol. v. 2106 . . . mult malement nos vait.

„Sempres“ significationem Latinam [quae in ceteris linguis Romanis servata est] mutabat; non enim „semper“ sed „statim“ significabat. Hodierna lingua Francica simplex illud adverbium totum perdidit adjectivo „sempiternus“ servato. V. Ch. de Rol. v. 3721 . . . chet as piez Charlemagne, Sempres est morte. v. 3729 Quatre cuntesses sempres i ad mandées. v. 3788 vos serez guarit sempres. — Par. la duch. v. 286 Je me leverai sampres.

Pro hodierno „comment“ invenitur „cum faitement“, quod adverbio „si faitement“ respondet, v. Ch. de Rol. v. 581 Cum faitement purrai Rollant ocire? v. 1699 Cum faitement li manderum nuveles?

XI. De negationibus.

„Nient“ [simile Italico „niente“] cum „ne“ velut simplex „pas“ conjungebatur non ad „nihil“ sed ad „non“ significandum. [cfr. Hispanicum „yo no os amo nada]. V. Ch. de Rol. v. 327 Jo ne vus aim nient. v. 397 ne li faldrunt nient. —

*) „Donc“ conclusivum apud veteres scriptores perraro invenitur [cfr. Burguy l. c. II. 283 seqq].

Videtur solum cum pronominibus personalibus conjungi posse. non enim dici poterat „ne aim nient cest hom"; haud aliter ne in Hispanica quidem lingua dici potest: „yo no he nada visto aquesto hombre", potest autem dici: „yo no lo he nada visto".

Ut in lingua Graeca complures negationes non ad affirmationem efficiendam sed ad vim negationis augendam ponebantur, sic etiam in pristina lingua Francica dicebatur: Ne nuls nul mandement ne tenist ne guardast. Burguy II. 337 apud Thom. Canterbury.

XII. De praepositionibus.

„Devant", quod hodiernus usus praepositionibus locum significantibus attribuit, tum pro hodierno „avant" ponebatur vel usque ad XV. seculum.*) Ipse Bossuet „seculo linguae aureo" scripsit „devant le déluge".

„En" praepositio, cujus usus hodierna in lingua circumcisus est, apud veteres scriptores saepissime, saepius quam „dans", invenitur, quin etiam haud semel cum articulis et definito et indefinito conjungebatur; v. Ch. de Rol. v. 11 Alez en est en un verger. v. 3742 Il est escrit en l'anciene geste. — Bibl. Gu. v. 30 Entrez sui en la droite voie.

Recentiores scriptores „en" cum articulo „l'" solum componunt, velut „en l'honneur, en l'absence".

Eodem modo, quo lingua Graeca, pristina quoque lingua Francica inter praepositiones „quo" et „ubi" significantes internoscebat; „enz" aut „enz en" cum Graeco „eis" c. Acc. congruit, cum recentior usus linguae Francicae „en" c. Dat. et „eis" c. Acc. uno „dans" semper vertat. V. Ch. de Rol. v. 510 Enz el verger l'enmeinet. — Hu. de Bord. v. 65 ens el borc d'Orliens. v. 1634 qui en la crois fu mis.

„Puis" ex Latino „post" ductum idem quod illud significabat, a recentiori vero lingua omnino est perditum, significatione conjunctionali accepta. V. Ch. de Rol. v. 664 seqq. . . . la citet . . . Puis icel jur en fut cent anz deserte. v. 3382 . . . bataille . . . Ne fut si fort enceis ne puis cel tens.**)

*) Cfr. Fénin, mémoires I. p. 127, 13.

**) v. Aye d'Avig. v. 3991.

„Pour“ aliquot locisquasi concessive positum invenitur, v. Ch. de Rol. v. 2990 . . . ad ceinte Jouise Ki pur soleill sa clartet n'en muet. v. 3417 Ne li faldrunt pur mort ni pur estrait. — Par la Duch. v. 3040 Je ne le consentroie por les manbres coper. — Similiter adhuc utuntur Italici „per — che“, Hispani „por — que“, atque Francogalli ipsi quoque usque ad Cornelii poëtae aetatem „pour — que“.

„Dès“ ex Latino „de ex“ ortum in pristina lingua nonnunquam cum personis jungebatur, temporaliter quidem, v. Ch. de Rol. v. 2255 Dès les Apostles ne fut unc tel prophete.

Denique annotandum est praepositionem „à“ saepius quam hodie ad finem actionis significandum poni, v. Méon I. p. 387 tu l'éuses á mollier ni à epouse. — Do. de May. v. 156 Vous m'arés à segneur et à boen compegnun. — Hug. Cap. p. 49. Chilz ot à non Guillame. — v. Joinville p. 428. — Hodie illud „à“ post substantiva solum ponitur velut „verre à vin“, verba autem cum „pour“ vel „en“ junguntur.

Pro „à“ nonnunquam „que“ invenitur, v. Ch. de Rol. v. 2123 Or ad li quens endreit sei asez que faire. — Do. de May. v. 8180 Trois fois li vint, la nuit, li angre que nunchier. — Aliscans v. 4280 Bien i auroient V vilain ke porter.

XIII. De interjectionibus.

Eaedem fere erant interjectiones veteri atque hodiernae linguae, annotandum autem est interjectionem „hélas“ eis temporibus indeclinabilem non fuisse, nam cum ex Latino „heu lassum“ [scil. me] originem duceret, genus substantivi sequi eam necesse erat. [cfr. Burguy III. 401]. v. Ch. de Rol. v. 2723, ubi regina Bramimunda exclamat: „E! lasse, que n'en ai un home ki m'ociet!“ — Cfr. Do. de May. v. 8830.

Typis Petzoldianis. Dresdae.